



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 67. Mors Platinæ Historici

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1481.

§. LXVI.

*Phæbi Navarrae Regis, & Regis  
Danicæ extrema.*

*Belleforest.  
l. 9. c. 143.*

**H**oc item anno Franciscus Phœbus Navarrae Rex e vivis ereptus est suumque regnum forori suæ reliquit cum ipse nonnisi quindecim Mensibus sceptrum tenuisset. Ad eundem annum vel saltem ad sequentem Scriptores rejiciunt obitum Christierni Danicæ Regis qui trigesimo tertio regni sui anno die vigesima secunda Maji mortalitatem exiit. Princeps erat humanitate & clementiâ insignis, præcipue vero in pauperes adeo misericors atque profusus, ut sua eum liberalitas non raro ad indigentiam redegerit. Post ejus mortem Joannes illius filius natus major præter Daniam in Suecia & Norvegia hæreditario jure successit, Regis tamen titulum fratri reliquit, qui etiam postea Sueciam, quam interim Steno administrabat, suo adjunxit imperio: id tamen pluribus post annis factum legimus.

§. LXVII.

*Mors Platinae Historici.*

*Paul. Jov. in  
elog. c. 19.*

**A**d idem quoque tempus revocatur obitus Historici cujusdam, qui vulgo Platina dictus Padenæ seu Platinæ haud procul



procul Cremona, exiguae fortunae paren-  
 tibus natus erat. Saepius ejusdem no-  
 men, quod in Baptismali fonte receperat,  
 non nisi litera B. designatum reperitur,  
 unde a quibusdam Auctoribus Baptista co-  
 gnominatur, nihilominus hac litera nomen  
 Bartholomaei indicari vero similis est,  
 si tamen ipse (ut fertur) auctor existit  
 illius epistolae ad Cardinalem Papien-  
 sem scriptae, quae hunc titulum praefert:  
*Bart: Platina Jacobo Cardinali Papiensi*  
*&c.* Ceterum Platina non modicum aetatis  
 suae tempus militiae sacraverat, qua  
 denique relicta regnante Calisto III. sum-  
 mo Pontifice Romam venit, ubi a Car-  
 dinale Bessarione exceptus in ejus do-  
 mo morabatur, demum vero ejusdem  
 Cardinalis opera, & auctoritate a Pio II.  
 quaedam beneficia, ac Apostolici *Abbre-*  
*viatoris* munus obtinuit, a Paulo II. au-  
 tem omnibus suis bonis exutus fuit,  
 quamvis haud alterius sceleris reus fuis-  
 se videatur, quam quod apud Pium II.  
 non infimum gratiae locum tenuisset, id-  
 que Paulus criminis loco haberet.

Saecul. XV.  
 A C 1481.  
*Volat. austr.*  
*lib. 21.*  
*Vossius lib. 3.*  
*de Historic.*  
*latin.*

§. LXVIII.

*Adversitas & vexatio a Platina  
 tolerata.*

Platina, cum injuriam sibi illatam ini-  
 quo ferret animo, hac de re apud

F 4 Pont-